

Unde glossa interlin. in ea verba ait: *Sic habet ingratos quasi ignotos. Ubi sunt? Inquirat Dominus.* Sic dicitur Ose. IV. *Oblita es legis Dei tui: obliviscar filiorum tuorum et ego.* Obliviscitur ingratus benefactoris sui: quid mirum si ipsius etiam obliviscatur Deus? Hinc colligere oportet, quam detestanda sit ingratitude, quæ tam longe separat hominem a Deo, ut quodam modo ab eo conspici non possit.

VIII. Cur in via antequam ad sacerdotes venirent, sanati sunt? Resp. primo: *Ne virtute legis sacrificiive aut sacerdotum putarentur mundati sed sola potestate divina,* inquit Did. Stella, in Luc. XVII. Certe sacerdotes, si in ipsorum presentia leprosi curati fuissent, ejus miraculi honorem sibi et sacrificiis suis facile adscripsissent, Christoque præripuissent.

Secundo, ut virtutem contritionis typice notaret. Per contritionem enim veram et legitimam peccator justificatur, etiam antequam ad confessarium et confessionem perveniat, juxta id Psal. XXXI. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Sic enim ea verba recte exponit ven. Beda: *Dixi. Inquit, quod in proposito meo confitebor Domino: et adhuc non erit verbum in ore, et jam auris Domini erat in corde, quia tu Domine, statim cum hoc proposui, remisisti mihi.* Nihilominus, quemadmodum leprosi, licet jam sanati, tenebantur sacerdotibus se sistere, ob præceptum Christi et legis; ita etiam peccatores, tametsi per contritionem jam justificati, peccata sua confessariis debent aperire, ex præcepto Christi; cujus impletio faciendâ implicite continetur in contritione, quæ propositum includit vitandi omnia peccata. Peccatum autem foret, non satisfacere præcepto Christi.

IX. Qua ratione Samaritanus iste leprosus Judæis immixtus fuit, cum teste D. Joanne, cap. IV. Judæi non contererent Samaritanis? Resp.

primo, non omnia commercia cum gentilibus fuisse Judæis prohibita, sed fœdera maxime et conjugia, Deut. VII. Poterant ergo inter leprosos Judæos etiam esse Samaritani, præsertim in confinibus utriusque nationis, ubi forte communia habuerunt leprosorioria. Quod de his leprosis non est difficile creditu, siquidem occurrerunt Domino transeunti per mediam Samariam et Galilæam.

Secundo, paupertatem et calamitatem effecisse, ut Judæi cum Samaritanis, odio deposito, in societatem coirent. Solent enim divitiæ et res secundæ hominum animos dividere: paupertas et calamitas unire. Canes duos rixantes injice in aquam, et illico rixari desinent. Abraham et Loth antequam ditarentur, una secum habitabant unanimes; at ubi divitiis aucti sunt, necesse fuit eos a se mutuo disjungere. Gen. XIII. Trecenti pauperes in eodem cœnobio majorem in se concordiam servant, quam tres divites ruricolæ in eodem pago.

X. Itane fides sola leprosum sanum fecit? Resp. primo, Christum hic loqui de fide non justificante, sed miraculorum; quæ sufficiebat ad sanitatem corporis impetrandam, eamque solam fere exigebat Christus ad obtinendum corporale beneficium, ut nimirum crederent se a Christo sanari supra naturæ vires posse.

Secundo, leprosum quidem non corpore solum, sed et animo sanatum, adeoque justificatum esse, non tamen ex fide sola et nuda, sed operante per dilectionem, quam habuit hic Samaritanus. Etenim Domino præcipienti paruit, ad sacerdotes perrexit, grato animo ad Christum rediit, eum adoravit. Itaque licet per fidem, qua is salvus factus est, intelligamus justificantem, non tamen inde sequetur, eum sola fide sine operibus justificatum esse. Sed de hac re sæpius dictum.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### MEDIA VIA QUOMODO INCEDENDUM.

I. In fortunæ bonis mediocritatem elige. — II. In fortuna prospera et adversa, nec erigere nec concide. — III. In via salutis, inter spem et metum. — IV. In via virtutis. — V. In justitia distributiva, sine respectu personarum. — VI. In justitia commutativa, sine magis et minus. — VII. In justitia christiana.

#### THEMA.

*Cum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.* Luc. XVII.

Ante octiduum demonstravit nobis Christus viam ad cœlum, amorem Dei et proximi: *Hoc fac et vives,* inquit. Hodie rursum aliam nobis ostendit viam ad vitam æternam, *auream videlicet mediocritatem.* Iturus enim in Jerusalem, transit non per fines, sed per medium Samariæ et Galilææ. Et cur, nisi ut doceat media virtutis via ad cœlestem Jerosolymam, *pacis veræ visionem,* esse perveniendum? Videtur hoc Isaias capite XXX. nobis prædixisse; sic enim ait: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Quem præceptorem? Utique illum, cui in hodierno evangelio oclamant leprosi: *Jesu præceptor, miserere nostri.* Pergit porro: *Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea: et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* Quis hic post tergum monens, nisi Christus Dominus discipulos suos præcedens in Jerusalem, et dum per mediam Samariam et Galilæam incedit, hoc ipso, non quidem verbo, sed facto monens, media virtutis via incedendum esse, et non declinandum neque ad dexteram neque ad sinistram, si tendere velimus in cœlestem Jerusalem? Verum dicet aliquis: Quæ est illa via media, quæ ad vitam ducit? Audiamus.

I. Si fieri potest, in fortunæ bonis, medio tutissimus ibis. Id enim petit Salomon, Proverb. XX. *Duo rogavi te ut deneges mihi antequam moriar. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? Aut necessitate compulsus, furer et perfurem nomen Domini Dei mei.* Id explanans S. Chrysostomus, hom. XIV. de avaritia ait: « Si quando onus est justo

gravius, demergit cymbam; rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usuvenit in nostris ædibus. Cum ultra quam usus postulat, congeris pecunias, exigui venti procella et quavis rerum inexpectarum incursus demergit cymbam. At si tantum reponas quantum postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. » E contra, si vacua omnino sit navis, nec saburra prægravetur, a fluctibus jactatur et abripitur vel evertitur: ita et egentes rebus necessariis agitantur curis, unde ad furta et mendacia, vel prostituendum corpus (quod plurimis pauperculis puellis contingit) facile abripiuntur. Hanc auream mediocritatem precatus est Sanctus Franciscus hospiti suo in villa Tysi, prope Alverniæ montem, postquam ab eo benevole exceptus est hospitio, ita videlicet ut ejus domui nec divitiæ, nec paupertas a Deo daretur, sed victus tantum necessarius. Id quod usque hodie in ea domo perseverare scribitur a Luca Waddingo in annal. Minor. an. 1215. ita ut hospes ille, quicumque sit, nunquam ad pauperiem redigatur, sed nec divitias acquirat; unde id hospitium *domus Sancti Francisci* appellatur. Quare cui hæc fortuna contigit, is Deo gratias agat, et aliam non desideret. Ita egit Jacob, qui Genesis XXVIII. ait: *Si dederit mihi (Deus) panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cuneorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi,* hoc est, cultu et devotione singulari eum colam, erigam ei templum, et dabo ei decimas. Ecce plus non petiit quam victum et vestitum; quibus et apostolus jubet nos contentos esse, I. Tim. VI. *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Vidit hoc et Plato, dial. III. de legibus, ubi sic philosophatur: *In quocumque hominum cœtu nec inopia nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt.*

II. In fortuna ipsa inter prospera et adversa, ut nec extollamur prospera, nec deprimamur adversa: ne efferamur si honoremur; nec animam despondeamus, aut ab officio desistamus, si despiciamur, juxta id apostoli II. Corinth. VI. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros, per arma justitiæ a dextris et a sinistris,* hoc est, in prosperis et adversis. In utrisque est periculum, si ad alte-

rum declinantes a medio excedamus, nam: *Cadent a latere tuo (sinistro) mille, et decem millia a dextris tuis*, Psalmo XC. Ad Hebræorum iudex ambidexter, fecit sibi gladium ancipitem, et sinistra utens tamquam dextra, dum salutem Eglon, regem Moab, pugione eum confecit, Judic. III. Eglon hic (Latine *vitulus*) diabolum, carnem aut mundum notat: contra hunc pugnare dextera et sinistra debemus, ita ut nec insolescamus in prosperis, si a dextra nos impugnet; nec desperemus in adversis, si a sinistra. Sic pugnare sciebat apostolus, qui ait: *Scio et abundare, scio et penuriam pati*, ad Philipp. IV. Sic pugnavit et dæmonem vicit Job, qui inter opes et secundas res fuit pater pauperum: in paupertate et afflictione patiens et Deum benedicens.

III. In via salutis, inter spem et metum; ne de salute diffidamus, declinando ad sinistram, neque præsumamus, declinando ad dextram. Genesis XII. legimus Abraham fixisse tabernaculum suum inter Bethel, (id est domum Dei) et Hai, (id est abyssum, seu vitam vallium.) Ab occidente habuit Bethel, ab oriente Hai. Ita Christianus qui ad salutem tendit, habitat inter spem vitæ æternæ, et inter metum abyssi seu vallis damnatorum. In anxietatis occasu speret bene de salute: in præsumptionis oriente timeat abyssum, juxta id Ecclesiastici II. *Qui timetis Dominum, sperate in illum*. Ratio est, quam dat Sanctus Gregorius Pp. in epist. ad Gregoriam cubiculariam Augustæ, cupientem certificari de salute sua: *Quia mater negligentia solet esse securitas, habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris*. Scriptum est enim: *Beatus vir qui semper est pavidus, etc.* Vicissim et nimia pusillanimitas mater est ignavia; quis enim quærat quod desperat? Æque deliquerunt Hebræi, quando jam desperantes de ingressu terræ promissæ, abjecerunt animum progrediendi, volueruntque regredi in Ægyptum; ac quando jam obcæcati timere cœperunt ascendere montem ad invadendos et exturbandos Chananæos, Num. XIV. Nam ob illam pusillanimitatem morte puniti sunt a Deo; et ob hanc temeritatem ac præsumptionem cæsi sunt a Chananæis in monte existentibus, et adrepentes Hebræos facile deturbantibus.

IV. In via virtutis, quæ non in extremis, sed in medio est: *Virtutes in medio sunt, ut nimietas omnis in vitio est*, ait S. Hieronymus, in c. X. Ecclesiast. Circa annum Domini 1017. in regione Aquitanie juxta maritimam, ante solemnitatem D. Joan. Baptistæ tribus diebus de cælo pluit sanguis; qui eadens supra carnem hominis aut supra lapidem, non poterat lavari: si vero supra

lignum caderet, lavabatur, Caussin. lib. I. symb. cap. XXVI. Caro humana nimis mollis, lapides nimis duri sunt: lignum medio modo se habet; nec nimis molle, nec nimis durum est: sic se habet virtus. Qui nimis molles et remissi, rursus qui nimis duri et stricti sunt, utrique maculam peccati contrahunt; non vero qui medium tenent. Exempli gratia: Qui nimium edendo saginat carnem, et qui nimium abstinendo debilitat, ut facere officium nequeat; uterque labem sibi adspargit. Unde quidam macilentus obvians obeso, cum dixisset: *Videris mihi habere faciem euntis ad infernum*, obesus ei respondit: *Et tu videris mihi habere faciem euntis ad infernum*. Rursus, si quis nimis splendide se vestit, vel nimis sordide quam ipsum deceat; in utroque macula hæret. Hinc Diogenes, cum videret Rhodios adolescentes pretiosis magnificentisque vestibus amictos, cum risu inquit: *Hoc nihil est præter fastum*. Deinde, cum incidere in Lacedæmonios vilibus et sordidis tunicis amictos: *Hic, inquit, alius fastus est*, Elian. lib. IX. var. histor. c. XIV. Hinc illud VIII. Hieronymi: *Pullas æque ut candidas devita*. Similiter qui nimium cupidus pecunie, aliena ad se rapiat, et qui nimium prodigus sua dissipat, uterque maculam habet. Genuensi cuidam prodigo decoretori dixit fenecator: *Quando tot facultates abligurire desines?* Cui prodigus respondit: *Quando tu rapere alienas desines?* Pontan. in att. Bellar. p. III. synt. III.

V. In justitia distributiva, quæ requirit æquitatem et medium, respuit dextram et sinistram. Hinc justitia pingitur velut virgo cæca, habens bilancem in manu, neutram in partem declinantem, sed in æquilibrio positam, qua ejusque jus appendit. Non igitur respiciat personam, nec recedat ab æquo iudex, sive amore amicorum, ad dextram; sive odio inimicorum, ad sinistram. Non declinet ad dextram, ut faveat diviti; nec ad sinistram, ut pauperi, contra jus et fas, juxta id Exodi XXIII. *Pauperis quoque non miseraberis in judicio*. Qui domum ædificaturus, fundamenta fodit, nec arenæ molli, nec duro lapidi parcat, ut solum excavet; alioquin domus corruet. Similiter qui vineam plantare in monte vult, tam magnas quam parvas arbores excidit. Sic agat iudex: non parcat magnis nec parvis, ut jus violet. Unde Jeremiæ, c. II. dicitur: *Eec constitui te hodie super gentes et super regna; ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes*. Quod sibi dictum magistratus intelligant, si vineam reip. plantare et conservare, simulque domum sibi in cælo ædificare volunt.

VI. In justitia commutativa, quæ et ipsa extrema aversatur, magis scilicet et minus; medium vero, æquitatem amat. Vult enim ut iusto pretio, pondere, numero, mensura omnia commutentur: omnem excessum damnat. Vult ut non carius externis vendantur merces, quam civibus, simplicibus quam nasutis, divitibus quam pauperibus. Vult ut non vilius ememus, et carius quam fas est vendamus. Verum dæmon ab hoc arcto tramite extrahere ad extrema homines satagit, præsertim in nundinis. Refert B. Vincentius ordinis S. Dominici, in dom. IV. advent. conc. IV. dæmonem aliquando S. Dominico oranti appropinquasse, et tripudiando cecinisse hanc cantilenam: *Magis et minus; magis et minus*. Cum autem fuisset adjuratus a Sancto Dominico, ut diceret quid sibi hoc vellet, respondit, quod quidquid ipsi lucrantur in hoc mundo, totum fiat per majus et minus, medium autem est quod placet Deo, displicet diabolo. Non dubito circumire dæmonem per nundinas et emporia, et hanc cantilenam mercatoribus occinere, ut præterito medio eant ad dextram vel sinistram, et per magis et minus violent justitiam.

VII. In justitia christiana, de qua Ecclesiastes, cap. VII. *Noli esse justus multum*. Videbitur aliquis sibi prorsus innocens, nec mereri, quæ immittuntur sibi a Deo, flagella. Alius forte nimium se abjiciet, et omnium scelerum reum dicit supra veritatem. Neuter bene agit: medium ergo tenendum. Nota est fabula de eo, qui in ponte vectigal ob vitium scabiei postulatum dare noluit, quasi vitio careret, pileo spoliatus, apparuit etiam alopecia laborans, ad terram prostratus, etiam herniosus, apud Gilb. cognat. I. I. narrat.

Quare vigilandum est vobis, auditores, ut in omnibus viis vestris medium teneatis; quia: *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Nemo pedem unum efferat e medio virtutis. Vaccæ illæ, quas junxerunt Philisthæi ad educendam arcam: *Ibant in directum, per viam, quæ ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes: non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram*, I. Reg. VI. Quid hoc indicabat, nisi quod etiam simplices et illitterati essent suave Christi jugum tracturi, et itinere recto, non declinantes sive ad dextram sive ad sinistram, sed per mediam viam perventuri in Bethsames, id est, in domum solis, Christi gloriosi? Ergo imitemur vel has vacas, nec sinuos ruidiores jumentis: pergamus recto itinere per virtutis viam. Ita sane monet Sapiens, Proverb. IV. *Ne declines ad dextram, neque ad sinistram: averte pedem tuum a malo*. Ad dextram declinat qui in prosperis extollitur; ad sinistram vero

qui deiecitur in adversis. Ad dextram declinat qui nimium præfidit; ad sinistram qui desperat; ad dextram declinat qui rem suam prodigit; ad sinistram qui per fas et nefas auget: ad dextram discedit qui violat justitiam amore amicorum; ad sinistram qui odio inimicorum. Rursus, Sanctus Augustinus, lib. II. de peccat. mor. cap. XXXV. « Ne declines, inquit, in dextram, superba præsumptione justitiæ: nec in sinistram, secunda delectatione peccati. » Præterea Sanctus Gregorius Nazianzenus, orat. XXVI. « Æque inutiles sunt iners ac supina segnities, et imperitus fervor: ille ad bonum minime accedens, hic autem ulterius cadens: » Ille per sinistram, hic per dextram in peccatum incidens. Denique, ne declines ad dextram: *Ne tibi de virtutibus blandiaris, et dextris successibus ac spiritualibus extollaris; nec deflectens ad sinistram tramitem virtutum, secundum apostolum, gloriam tibi ex eis in tua confusione conquiras*, ait Cassianus, lib. XI. de justit. renunt. cap. IV. Hæc si observemus, avertemus pedes nostros a malo, et per mediam Samariam et Galileam ibimus cum Salvatore nostro ad cælestem Jerosolymam.

## CONCIO II.

## LEPRA PECCATI DETESTABILIS.

I. Quia fœdissima. — II. Quia duro lavacro indiguit. — III. Quia crudeli abrasione opus habuit. — IV. Quia immolatione Filii Dei eguit. — V. Quia in ignem æternum ejicitur.

## THEMA.

*Cum ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi*. Luc. XVII.

Nihil certius ac notius quam lepram esse typum peccati in sacris litteris. Ut enim nullus est morbus tam infamis et horridus uti lepra (ideo enim mors civilis appellatur; quia ab hominum consuetudine excludit: quam ob causam decem isti a longe stant) ita nil fœdus et infamius peccato, quod hominem a Deo et cælesti curia separat. Verum sicut umbra corpore, typus ipsa re incomparabiliter minus quid est; ita lepra peccato. Testem adduco S. Ludovicum regem Gallie, qui ex Seneschaleo Campanie quærens: Malletne lepra infici an peccato, cum is responderet: Peccato, acriter eum perstringens: *Toto cælo erras, inquit, eequæ lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque, si me amas, eam mentem mutato*, Joinvil. in ejus vita, cap. XCIV. Unde vero istud, dices, possumus

ostendere? Ex horribili et difficillima cura, quæ huic lepræ fuit adhibita; uti nunc audiemus.

Ex iis, quæ leprosis mundandis præcepta dedit Deus, non difficulter intelligimus peccati enormitatem ac fœditatem.

I. Primo enim, debebant separari extra castra, et os veste vel panno tegere, ob halitum pestilentem et fœtidum, quo alios offendere et inficere poterant, Levitici XIII. Quantus sit peccati fœtor, et quam abominabilis horror coram Deo, colligimus ex eo, quod in angelis pravis deprehensum, mox tam dire castigarit, ut eos e cœlo in tartarum deiecerit. Quinetiam in revelatione Sanctæ Birgittæ, lib. IV. cap. VII. aiunt dæmones coram Deo: « Plus dicimus si res illa, quam præ omnibus diligis, quæ est Virgo, quæ te genuit, et quæ nunquam peccavit; si inquam, illa peccasset mortaliter, et sine contritione divina mortua fuisset, sic diligis justitiam, quod anima ejus nunquam obtineret cœlum, sed esset nobiscum in inferno. » O abominandam lepram, quæ adeo fœtet coram Deo. Si enim primarii aulae præpositi a rege propter aliquod delictum traditi sunt carnifici, quomodo non tremant inferiores, adeoque tota aula? Si tam fortes angeli rudentibus inferni de cœlo detracti, et ad infernum alligati sunt; quomodo non tremant imbecilles homines? Non dubitavit Deus tertiam partem stellarum extinguere ob peccatum: quis non timeat in terra positus? Deinde, Adam, tanta consideratione post tot creaturas, ipsius gratia conditas a Deo creatas, totque ornatus donis, e loco tam specioso in exilium tam durum, tot calamitatibus plenum, post unum peccatum ejectus est cum omnibus suis posteris. Quis inde non conjiciat quantum malum sit et quam abominanda lepra peccatum? Aspice confluxum plurimorum miserorum, cæcorum, claudorum, leprosororum, epilepticorum, paralyticorum, etc. aspice vastatas incendiis, rapinis, bellis regiones: aspice erecta passim ubique patibula, rotas, rogos, catastas, equeos, cruces, cippos, infames lapides e curiis pendentes, carceres, etc. omnia hæc partim fructus, partim instrumenta sunt ad castigandum peccatum excogitata: *Ignis, grando, fames et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt: bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et romphæa vindicans in exterminium impiorum*, ait Ecclesiasticus, cap. XXXIX. Quid quod etiam fœtorem peccati sancti quidam sensibiliber peceperunt, ut vel inde intelligeremus, quantum coram Deo fœteat. Refert Cyrillus monachus, in vita Sancti Euthymii, fuisse aliquando obviam factum Sancto Euthymio virum, qui sola mentis cogitatione turpe aliquid versaret; et tamen

tam avernalem spiritum auramque pestilentem efflaret, ut ille gravi odore percussus, a dæmone se inessum arbitraretur. Hoc vir in viro sensit. Fuerunt et feminæ tam sagaces. Scribit Raymundus Catharinam Senis natam, usque adeo pios ab impiis distinxisse, ut impudicæ secum loquentis mulieris horrendum fœtorem tolerare non potens, nares obturare coacta sit. Cum vero Raymundus, qui illi a confessionibus erat, gestum hunc admiraretur, respondit Catharina, se, ni hoc fecisset, præ nausea animæ illius exhalata peste fœtoreque fuisse vomituram. His accedit Sancta Birgitta vidua, quæ aliquando Jerusalem Romam reversa, adiit ædes Domini Latini de Ursinis: « Cumque in eas ingressa esset, manu ad nares admota, nihil loquebatur. Sciscitanti illi ab ejus confessario, quid id sibi vellet, quod nihil loquens, manum naribus applicaret, responsum est: Te non tam recto animo constitutum invenit, atque tum eras cum a te recederet. Admiratus dominus Latinus: Equid, ait, designavi? Verum quidem est habuisse meliorem cum quibusdam subditis meis. Ibat quandoque Sancta Birgitta Romæ cum filia sua Catharina, et Petro confessario, et Magno capellano ad ædes Jordani de Marino, volens invisere ejusdem Jordani uxorem. Qua præsentem, tantum ex actibus suis sensit fœtorem, ut vix ferre posset. Admirante ea causa non mediocriter Magno, quem diximus, et e Petro confessario ejus percontante, quid hoc sibi vellet, ille respondit: « Noveris pro certo, quancumque coram ea quispiam mortifero peccato obnoxius stat aut loquitur fraudulenter, aut quo Deus offendat, illam mox sentire immodicum sulphuris fœtorem, » in ejus vita, apud Surium, 23. julii, c. XIX.

II. Debebant emundando lavare vestes et corpus, Levitici XIV. At Deus peccatoribus a peccato abluendis longe aliud balneum olim paravit, diluvium videlicet. Ubi enim in hominibus invaluit peccati lepra, adeo ut corrumpere universam terram, et homo quasi non homo, sed caro et brutum fieret, (Gen. VI.) lavit Deus terram diluvio, et demersit homines; non pepercit infantibus nec bestiis innocuis, non audivit lamenta sero pœnitentium, non miserabiles vagitus infantium, non horridos bestiarum clamores. Unde Chrysost. hom. XXII. Genes. ait: *Istam pœnam communem ferunt, ut pœnæ gravitatem addiscant. Et sicut ab initio, cum peccasset protoplastus, terra maledictionem accepit; sic et nunc, cum abolendus esset homo, bruta quæque cladis socia sunt. Sed cur reptilia et volatilia deleta sunt, non aquatilia? Respondet Lyranus, quia peccata*

non sunt facta in aquis, sed in terra, unde pascentur reptilia et volatilia. Denique, nec infantibus parsum. Dicebat pater et mater: Moriamur, Domine, nos; sed vivant saltem liberi nostri: *Ego sum qui peccavi, isti vero oves sunt; quid fecerunt? Moriamur saltem alia non tam dira mersionis morte. Nihil impetrarunt: Moriendum est*, dicebat Augustus imperator ad Perusinos cives morti adjudicatos, supplicium deprecantes: *pe-reundum vobis in aquis est, ut sordes lepræ vestræ tales esse intelligatis, quæ non nisi tam vasto et miserabili balneo possint abstergi.*

III. Debebant emundandis abradi omnes pili corporis, barba et supercilia. At Deus peccatores longe aliter rasit. Ubi enim rursus emersit peccatum, abrasit Deus in Pentapoli quatuor civitatibus, Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, omnem decorem, omnesque incolas, per sulphureum incendium cœlo demissum; fecitque e paradiso terræ lacum horridum, fœtidum, mortuum mare, ubi nec piseis vivere, nec prope quis degere ad quintas leucas potest, quodque perpetuum fumum et nebulam in modum camini infernalis exhalat, ut scribit Borcardus, testis oculatus, in descript. terræ sanctæ. Confirmat Sapiens, Sapient. X. dicens: *In testimonium nequitie (Pentapolitanorum) fumigabunda constat terra deserta. Constat, id est, constanter stat. Et quia nec sic oppressum est omnino peccatum, sed succrevit denuo, ideo propter illud vastabitur ante judicii diem mundus igne conflagrationis, qui omnem ejus decorem et venustatem abradat, omniaque in cinerem rediget, ut testatur idem Sapiens, Sapient. V. dicens: Ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum (impiorum) et malignitas evertet sedes potentium. Eadem ob causam, ob peccata scilicet, abradit Deus sæpe fruges terræ per siccitatem, grandinem, pruina, ut testatur Divus Basilius, hom. VIII. in divites avaros: vastat bello et peste regiones, ut instar solitudinis horridæ et incultæ jaceant; quia, cum in usum hominum omnia creavit, quando ipsi non reddunt Deo quæ Dei sunt, subtrahit eis Deus quæ pro ipsis creavit; ideo cum peccasset Adam, terram propter eum maledixit: *Maledicta terra in opere tuo. Propter domum Achab sceleratam inhibuit pluvias toto triennio et sex mensibus, III. Reg. XVII. propter Hebræorum idololatriam: Prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit, Jer. III.**

IV. Debebant offerri duo passeret: eorum unus mactari et immolari, ejusque sanguine aspergi mundandus; alter eo tinctus dimitti liber. At Deus pro emundatione peccatoris (en tibi qualem passerem!) Filium suum occidit. De se enim

Christus, Psalmo CI. secundum Augustinum et Gregorium: *Factus sum sicut passer solitarius in tecto; qui solus in cruce exaltatus, et velut vilis passer spretus, nos redemit. Duo illi passeret significat duas Christi naturas, quarum una humana, mortem omnium terribilissimam subire debuit; altera divina, licet impassibilis, sanguine tamen alterius tingi, et una cum ipsa crucem ascendere et conspui, illud, blasphemari, quo remedium pararetur lepræ hominis curandæ. Quis autem hic non obstupescat? Qualis enim morbus esse debet, qui non nisi sanguine Filii Dei curari potest? Certe si aliter curari potuisset, tam diro ac pretioso pharmaco medicus cœlestis usus non fuisset. Qualis et quam pertinax morbus sit lepra vel inde constare potest, quod pauci vel omnino nulli medici reperiantur, qui eum sanare possint. Fuere tamen in Ægypto medici, qui eum sanguine humano curari posse assererent et vere etiam curarent, si Plinio credamus, lib. XXVI. cap. I. qui id remedium regibus Ægypti, si in eos lepra incidisset, consuetum, populis tamen funebre fuisse ait, quod humano sanguine temperari eis balneum deberet. Incidit idem malum in Constantinum Magnum imperatorem: cumque medicorum consilio infantes pauperum undique a matrum uberibus abrepti essent ad necem, et eorum sanguine tale balneum pararetur, imperator audiens matrum et infantium lamenta, cruento lavaero abstinuit, dicens præstare se solum eo fœdo morbo intabescere, quam tantam infantium multitudinem cum incerta spe salutis crudelissima internectione deleri, ut in vita Sancti Silvestri papæ refert Baronius, et alii. Jam vero lepra peccati tantum malum est, ut neque sanguine humano, sed divino dumtaxat Filii Dei potuerit sanari. Fieri forte potest, ut subditi necentur pro servando imperatore: sed quis capiat necandum esse imperatorem, ut subditi serventur? Et quidem Constantinus, motus vagitu parvulorum, pepercit illis: sed Deus Pater, auditis etiam Filii sui lamentis in monte Oliveti, et in ipsa cruce (*Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?*) non est dimotus a sententia sua, ut vitam condonaret Filio, quando homines leprosi non aliter sanari nisi ejus sanguine poterant.*

V. Leprosi ablegabantur, ut dixi, in solitudinem, ac nisi convaluissent, in perpetuum nemo eos aditu, congressu, colloquio dignabatur, nemo non velut pestem fugiebat: *Omnis tempore, quo leprosus est immundus, solus habitabit extra castra*, ait lex Levit. XIII. Solus habitabit, remotus a dulci hominum conversatione, leprosus inter leprosos sordidos et fœtentes, vestibus